

12
13

DE
FIDE IVSTIFICANTE

SPECIMEN

AD Philipp. III, 8. 9.

QVOD

P R A E S I D E

**IOANNE FRIDERICO
BAHRTIO**

S. S. THEOL. D. ET P. P. E. CONSISTORII REGII ADSESSORE
ET AD AEDEM D. PETRI ORATORE SACRO

PRAECEPTORE AC PATRONO OMNI PIETATE SVSPICIENDO

IN AVDITORIO THEOLOGORVM

D. IX. AVG. A. R. S. MDCCCLV.

DEFENDET

A V C T O R

IOANNES GOTTLLOB IAEGER

WERDA MISNICVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

БИБЛІОГРАФІЯ ПІДРІ
ІМІСЬКИХ

БІБЛІОГРАФІЧНОГО
ОТДІЛУ

БІБЛІОГРАФІЧНОГО
ОТДІЛУ

БІБЛІОГРАФІЧНОГО
ОТДІЛУ

БІБЛІОГРАФІЧНОГО
ОТДІЛУ

БІБЛІОГРАФІЧНОГО
ОТДІЛУ

* * * * *

Philipp. III, 8. 9.

*Αλλὰ μενθηγε ηγέμαι πάντα ζημίαν εἶναι διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ μα, διὸ ὅν τὰ πάντα ἔζημιώθην, ηγέμαι συνθαλα εἶναι, ίνα Χριστὸν μερόδησω, ηγέμαι εὑρεθῶ ἐν ἀντῷ μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην, τὴν ἐκ νόμου, ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει.



§. I.

Quum arctissimo et affinitatis quasi aliquo vinculo nostrae apud Deum iustificationi connexa sit aeternae salutis spes, ita, ut haec ab illa, tanquam a fonte riuiulus, ducatur; fieri non potuit, quin ab eodem verbo diuino, quod futuram felicitatem per Christum sponsorem partam promittit sperandamque praecepit, iustificationis etiam certa constansque ratio exponeretur. Huius causae ut crebrior vberiorque in tabulis noui foederis demonstratio fierer, suis contentionibus effecerunt malorum nascentis veritatis Christianae calumniatorum antesignani Iudaei. Horum enim haud pauci, si vel maxime Christi nomen profiterentur, seruientes tamen legis suae reverentiae, quae iam non religio amplius erat, sed superstitione, doctrinam Evangelicam propugnanda rituum externorum virtute corrumpebant, perpetuumque apostolis et Paullo negotium facessabant. Quod malum intestinum ne latius serperet, ab ipsis initis caute prouisurus ille, de ea re pluribus locis, consulto, multis prescripsit ad eos, quos viua voce anteā docuerat, vanasque hominum, veritatem cauponantium, persuasiones cauere volebat. Quibus omnibus haec de nostra iustificatione doctrina ita vindicata et illustrata prostat, ut mirari quis non iniuria possit, quemquam in tanta luce coecutiire, ne dicam pessimo publico rei christianaee tantas hoc in loco agitari dubitationes.

§. II.

Erant autem duo omnino legis Mosaicae adoratorum genera. Alterum eorum, qui salutem quidem omnem a Christo expectandam esse firmiter tenebant, consiliorum tamen diuinorum rationes male intelligentes, hoc sibi habebant, ut leges ceremoniales iuxta cum praecepsis amoris, pari censu aestimarent: quorum infirmae conscientiae quemadmodum parendum sit, rationibus aequae, ac suo exemplo docet Paulus 1 Cor. VIII - X.

DE FIDE IVSTIFICANTE.

Alterum eorum, quos erroris disseminandi periculo professis nominis Christiani hostibus multo perniciosiores, morumque insolentia insignes, in hac Epistole ad Philipp. periocha, cuius parrem iam paucis disceptandam in limine laudauit, cum summa indignatione traducit, multoque sale ita defricat, ut totus hic sermo sub leges sedatae orationis haud facile reuocari possit. Quod enim ex aliis Pauli literis, lectione praeſertim viriusque ad Corinthios, illiusque ad Galatas conſtat, acerrimi illi legis suae vindices circumſiſione carnis, ſigno foederis diuini cum Abrahamo ſanciti, ceteraque natalium ſuorum commodis praeter modum turgidi, multum omnino ad ſuam δινοιων ea conſerre existimabant, ſuaque in hoc negotio magnificientius ſemper quam verius iactitabant. Quos errores ut aegre patiebantur ſibi eripi, ſummo liceat apostolorum decreto Actor. XV confutari, item, ut aliis imponerent, μετασχηματιζόμενοι eis ἀποστόλος Xg 15:8 2 Cor. XI, 13 palam legi ſuae vim potestatē afferebant. Quod ut eo facilius conſequerentur, praeter ceteras malas artes, quibus inſtruoti erant, hoc etiam nouo vrebantur confilio, ut Paulum, quem ob eiusdem ſuae legis deſertionem in ſummo habebant odio, nunquam non allatrarent, morderent, lacerarent, canina quippe eloquentia praediti. Iſtos igitur pefſimos homines, qui efficacie mortis Christi detrahebant, fideique ſtadium diligenter decurrentibus impedimenta obiiciebant, ut longe fugerent Philippenses, caue canem acclamat v. 2. eiusque imaginem ſuis quaſi pingit coloribus. Vbi, cur eos κακοτοπὺν conciſos per ἐντελισμὸν vocarit, cauſam ipſe ſubiicit, duſtam a vere circumſiſorum definitione v. 3.. Quo nomine et titulo quum eos tantum dignatus eſſet, qui in Christo conſiderent, circumſiſioni autem, quae fit in carne, nihil quicquam tribuiffet; eius rei, quae fit ratio deinceps exponit: et primo quidem negat, id factum eſſe ſtudio partium, aut quod ipſe in ſe non habeat argumentum et materiam gloriandi: quam ſuſpicionem ut amoliretur, vanamque illorum hominum iactantiam vriter et exagitaret, momenta quaedam priſcae ſuae in Iudaismo conditio- nis obiicit v. 6. Deinde vero v. 7. ait, ſibi cauſam hanc fuſſe, quod ſibi perſuafum fit, circumſiſionem et reliqua ſua, quae allegauerit commoda, multum diſſidere a dignitate Christi, qui ea omnia longo poſt ſe interuallo relinqueret. Haec apostolus de ſe: fed ita, ut ſuum proponat exemplum, in quod intuentes Philippenses diſcant ſapere, ſibique cauere ab opinione dignitatis insignium iſtorum Iudaicorum, aut gratiae apud Deum per ea incundae.

§. III.

Repudiatis itaque praerogatiuiſ iſtis Iudaicis, quas v. 6. commemo- rauerat, eundem dedignationis plenum animum ostendit et in ſequentiibus: ἀλλὰ μενένγει τοῦ θρηνοῦ πάντα ζητιαν εἴναι. His verbis superioris ſenten-

sententiae confirmationi iungitur quaedam amplificatio, quae quidem significatur particula ἀλλὰ μενθύγη, quae seruit orationis augmento, et absolvitur vocula πάντων. Sed haec leuiora sunt et clariora, quam ut disputari possint. Dicendum, quid sit Σημίας εἶναι ἡγέμονα, quam formam, post v. 7. hic repetitam, sunt haud pauci qui utroque loco interpretentur: *arbitror esse perniciosa*. Hanc sententiam quum ipsis sentirent veritati minus consentaneam, atque adeo iniuriam esse in diuina beneficia, quorum in numero censendum haud dubie erat natum esse Iudeum; praeter rationem Σημίας ab ipso apostolo allatam, nouam adiiciunt hanc conditionem: si quidem iis considerem. Et hoc quidem centone adsuto, sensus videtur bonus esse, et qui satis eriam habeat efficaciae ad reuocandum ab errore Christianos inter Philippenses Exiudeos, ad quos, ut reliquam fere omnem epistolam, pertinere hanc quoque illius partem arbitror. Attamen, praeterquam quod dubitari possit, an liceat quicquam addere, hoc certe difficultatis habet illa opinio, qua verbum Σημίας *transstidue* sumitur pro re perniciem afferente, ut ratio διὰ τὸν Χριστὸν, et διὰ τὸν περεχόν τῆς γνώσεως Χριστὸς male ei conueniat. Si quis autem contendat, hanc Pauli ad exemplum suum prouocationem habere vim praecepti haecenit, ne Christiani exgentiles sibi paterentur iugum legis ceremonialis obtrudi, equidem non magnopere repugnauerim: tum vero prorsus inanis esset, quam impugno, sententia. Quae enim, quae! demonstratio, si qua re omnino abstinendum esse suadere velis, eam doceas male aburenti nocere? Sed ut haec missa faciam, videntur mihi apostoli mentem propius attingere, qui Σημίας, prout a me significatum iam fuit, in describenda connexionis ratione, paullo mollius intelligunt de re tenui, quae nihil veri lucri habeat, et defectu aliquo labore. Faute huic explicationi, quod Paulus τῷ Σημίᾳ ἡγέμονα substituat σύβαλα ἡγέμονα, verboque Σημίας opponat κέρδος et περεχόν, quae in proportionibus et comparationibus faciendis, qualem hic intutus Paulus inter σάρκα et Χριστὸν, disiunguntur ut maius et minus: ut melius et deterius, quod non obscure docet ARISTOT. Ethic. V. c. 4. τὸ μὲν πλεόνος, inquit, καὶ τὸ ἐλάττον τὸ ἕπον μέσον, τὸ δὲ κέρδος καὶ η Σημία τὸ μὲν πλεόν, τὸ δὲ ἐλάττον ἐνεργέως. Vides κέρδος et πλέον, contra Σημίαν et ἐλάττον, pari passu ambulare. Ex his iudicari facile potest, quando Paulus aequo indignationis iure πάντα complectitur, ea vocula contineri, tum quae praeter iam commimentata allegare amplius potuisset commoda, quibus ipse cum sua gente ceteras antecessit cf. Rom. IX, 4, 5, tum quicquid luculentii haec hominum vita, et splendidi terrarum orbis habet, et quodam modo opponi possit illi, cuius causa Σημίας εἶναι πάντα iudicat. Quod, quale sit, iam videbimus.

DE FIDE IVSTIFICANTE.

§. IIII.

Διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως χριστόν. His verbis igitur, quibus explicat illa superiora διὰ τὸν χριστὸν, rationem reddit, quare tam tenuiter sentiat de ceteris rebus omnibus. Collationem quasi facit cognitionis Christi rerumque ab ea diuersarum, quibus aequa lance expensis, illam unam cognouit haec omnia longe multumque superare. Eaque est ratio, quare v. 5. oportere, inquit, καυχᾶσθαι ἐν χριστῷ, οὐδὲ ἐν ε. σ. π. Dicitur autem τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως, ex consuerudine loquendi Graecorum, eadem vi atque ἡ γνῶσις ὑπερέχεσσα, neque adeo curiosus esse voluerim, ut certam illius partem, quae agit de iustitia Christi nobis imputanda, significari neutro genere statuam: prout placuit SEBAST. SCHMIDIO in Coll. Bibl. ad h. l. Genitiuus autem χριστός obiectum cognitionis denotat. v. GLASS. Gramm. S. L. III. tr. I. c. 30, 6. De ipsa praestantia cognitionis Christi si verbum addere licet, cernitur ea multifariam. Siue enim conferatur ad alia praesidia felicitatis aeternae consequendae, hominum ingenio constituta, fordere ea nobis merito debent: tum quis non admiretur singularem eius genium et efficacitatem, quae cum primum obiecta fuit hominum animis, ita totos ad se rapuit, ut omnia piae illa excelso animo magnoque despicerent? Siue species ad eas res, unde Paulus praestantiam illam iudicauit, multo sane praecarius est, libero aspectu intueri gloriam Domini, quam inuolutam quasi per velamen conspicere 2 Cor. III. 18., et patenter aditum habere ad Deum, quam cum vetere Iudeo stare ante tabernaculum. Quid generis praeterea nobilitas, quid fama et auctoritas, quam cum suis Pharisaeis, variis πολυτείαις generibus, et temeraria legis aemularione, tantum consecutus erat Paulus, quantum vix vera virtus assequi potest! quid, inquam, ea omnia proficiunt, si vsque eum impediuerint, quo minus ad Christianum accederet? Atque in vniuersum, quicquid inuidioso fortunae naturae bonorum nomine venit piae Christo vix vnius aesis est faciendum: nihil per ea sine Christo proficies; si absint, dummodo ille adsit, te nihil deficiet. Tam pia mens Pauli! tam egregie hic locus inseruit nostris in mediatorem nostrum ac Deum studiis formandis excitandisque!

§. V.

Vt maxime autem illi sufficiunt iustitiae de rebus suis gloriabantur, ita potissimum altera terciaque vice earum valorem, simulque supercilium illorum hominum deprimit Paulus. Quamquam enim, de quoconque bonorum genere iusto praecarius vana hominum opinio sentire possit, iudicium hic fieri certum est, semper tamen illi maxime tanguntur, qui huic sententiae locum fecerunt. Quando autem, διὰ τὸν Κύριον μηδὲ τὰ πάντα, inquit, ἐξημιώθην, verbum passuum hic nullum habet respectum ad causam efficiēntem, sed nudam rei existentiam denotat: omnium rerum iacturam feci,

DE FIDE IVSTIFICANTE.

7

fecit, ut Matth. XVI, 26. Ita sensus, forte non incommodus, hic esset: quum antea iis rebus, quas aut naturae beneficio acceperit, meoue labore ac studio mihi peperi, magnopere mihi placerem, insignisque pretii loco eas cum ceteris meis tribulibus haberem, iam, perspecta Christi praestantia, probe noui, me istam spem fecellisse, me operam et oleum lusisse. Sed tamen est alia ratio, quae magis illa videtur probabilis, si adiecto propensae Pauli voluntatis indice, veritas: cuius causa vel amore memet ipse omnibus privauit. Verba enim diaethes passiuae, quandoque mediorum vim habent, quae, ut omnes norunt, hebr. Hirhpael responder. Hac autem ratione discerni haec a praecedentibus commode sic poterunt, ut prius illud ζητιαν ἡγεμον, de mero intellectus iudicio; hoc ἐξημερων cum insequenti συνβαλλα εἰς τὴν ἡγεμον, de iudicio illius per certos actus declaratione intelligatur: ut, quemadmodum supra rationem allegabat, quare non oporteat spem villam in commodis humanis reponere, quae nimurum praet Christo sibi flocci pendenda, ita nunc putetur apostolus ingenuo profiteri, se suo iudicio conuenienter, leuium istarum rerum fiducia sibi interdixisse. Haec enim, de fiducia nimurum, sumendum esse verborum ζητισθαι, me non monente, res ipsa loquitur. Neque enim genere aut tribu se abdicavit, factus allophylus, sed honeste laudat Rom. XI, 2., nec nomen spreuit et laudem, sed bonis artibus quaesuit muneri 2 Cor. XI, non rerum honestarum substantia se spoliare potuit aut voluit, sed qualitate: non gentilium philosophos imitatus, sed praecepta Christi fecutus. Matth. XVI, 24. seqq.

§. VI.

Quid? quod apostolus, ipse sui interpres, quorum animum intenderit, quodam nos modo certiores reddat hisce verbis καὶ ἡγεμον συνβαλλα εἴη, quorum tamen, quam sunt varia συνβάλλων genera, tam fieri ad hunc locum, quo nunc vrimur, applicatio varia solet. Vtus illius vocis quam late pateat, pleno commentario enarravit GATAKERV Advers. posthum. c. 43. cuius quidem compendium hic adscribere non poenitebit, illustrationem ex ipso perent, qui volent. Σκύβαλον vite quodvis „reiectamentum designat, qualia sunt excrements animantium, liquorum „feces et fraces, metallorum scoriae, stirpium decidua, frugum purgativa, farinae surfures, mensarum analicta, manuum apomatra, quae canibus definuntur. Haec enim ille. Singularem explicandas huius vocis rationem iniit TRIGLANDVS. Ex πορευομασίᾳ verbi Σκύβαλον, unde nomen Pharisaeorum ducitur, et Σκύβαλον, quo excrements significantur, sensum elicet, quo ita puto lectores iri offendim, quam ille vult apostolo foetorem spurcitie pharisaeicae graue suboluuisse. Eleganter, quam fieri potuit, cum aliis nonnullorum opinionibus, ornatam illam habes et coloratam a PETR. ZORNIO, Opusc. Sacr. T. II. sed ita, ut satis probabili honestatis specie ne



DE FIDE IVSTIFICANTE.

ne nunc quidem mihi commendetur. Quamquam enim nihil durius dici aut dementius in illos potuerit, qui nihil sibi non licere audendum aduersus doctrinam euangelicam eiusque praecomen arbitrabantur: neque ubi canes sunt v. 3., ibi merdas possis mirari; tamen, quod habet acumen, a Phariseorum nomine e longinquu accersitum, nec cuiquam facile obuium, ad exacerbandos magis quam emendandos eorum animos videretur fecisse, qui forte et ipsi olim *nata rōμou Φαρισαῖοι*, aut studiis certe eorum fauentes, in coetu Christianorum Philippenium iam perdidabantur. Neque animum inducere eo potui, ut quandam ex supra laudatis e G A T A K E R O notionibus specialibus meam facerem, nisi quod ea, quae a cibō canum ducitur, doctissimis hominibus probata, sine deformi similitudinis cogitatione habeat quoddam acumen ad laceendum idoneum, liberoque homine non indignum, et canibus istis, quos Paulus v. 3. vocauerat, sua solis et sine riuali amanda relinquit. Sed cum σκύβαλον in vniuersum de quacunque re vilissima dicatur, euidem crediderim, rationem eius formae loquendi Paulo non fuisse aliam, quam ut significaret, se res omnes, quas pie a Christo iudicauerat esse detrimentum, etiam ut vilia retributa tractare et tanquam reculas, plane reiculas, nihil facere. Ita enim vocabulum ἡγεσθαι tractandi sensu adhibetur i Thess. V, 13. i Tim. VI, 1. His, quum non perspiciam quid impedit, quo minus probari possint, iuvat et hoc addere, σκύβαλα ἡγεσθαι uno verbo dici σκύβαλίζεν, ut Siracides inter indignissima refert, si viri intelligentes σκύβαλοθῶσι, despiciunt habeantur, cap. XXVI, 26. quod glossa H E S Y C H I I illustrari quodam modo potest: σκύβαλίζεται, απόδονιάζεται, παρεγίνεται) Ἐστενται. Sed ohe! iam satis, superque quam satis est, circa ista σκύβαλα haec simus. Iam ad reliqua.

§. VII.

Exposita itaque cognitionis Christi praefantia, reiectisque omnibus opinatis ad laudem apud Deum commendationibus; post illa, quo fine cuique bono id fecerit, noster pergit declaraturus. Ut supra vero non absque sermonis quodam cumulo fastum illum Iudaicum contundebat; ita maiori adhuc gravitate suum pingit cimelium, et tanquam captus eius praefantia, difficulter ab eius meditatione discederet, nomina vndique colligit, ut lectoribus, dum morarentur circa rerum copiam, animi sui quasi motum susciceret, eosque in Christi raperet admirationem. De his, quoisque nobis ad disceptandum proposita fuerunt, videbimus. Et ab initio quidem rei caput, unde per partes reliqua se diffundat oratio, his verbis constituit: ἵνα Χριστὸν κερδίσῃ. Quandoquidem autem per Χριστὸν intelliguntur bona per Christum nobis parta, posito eorum loco auctoris nomine, vt Hebr. III, 14., confitat eorum plenam et consummatam perceptionem in sequenti

in sequenti vitae seruari, *inchoatam*, quae ad hanc pertinet, cum modulo studiorum pietatis congruere. Atque exinde est, quod Paulus omnia, inquit, adspendor, ut Christum lucifaciam, quasi non iam lucifecerit, cf. v. 12. Apposite autem ad hunc locum verbo *νερδαίνειν* expressit, quod simili sensu de Euangeliō siue promissionibus eius 1 Cor. IX, 23. dixit ἡνα
στρυκονωνώς αὐτῷ γένωμαι, aut Hebr. I. c. μέτοχοι γεγόναμεν. Nimurum se tanquam sui aliqua parte priuatum et orbum sūstis apostolus. Hanc igitur iacturam, quam ex pracepto et amore Iesu Christi libenter fecerit, beneficiis auctore ipso sperandis plenissime sarciri, id vero his verbis innuere videtur, paullo laxius ita describendis: ut Christi, quem vnicē in lucro pono, et in quo vno habeo omnia, tanquam thesauri pretiosissimi et me locupletantis, particeps fiam. Ceterum non obscure rationem hic habet commodorum v. 5., quibus Iudeum olim admodum delectatum fuisse ex v. 7. sit probabile.

§. VIII.

Subiicit deinceps alterum: Καὶ ἐνερθὼν ἐν αὐτῷ, vbi obseruandum ἐνεργεσθαί denotare esse, existere. Hebraeorum Νῦν τοιούτοις et τοιούτοις eandem saepe vim habent, vnde in stilum N. T. viderunt fluxisse, vt ἐνεργεσθαί et ἐνεργεῖ in uicem substituantur. In re non dubia testibus non necessariis vti nolo. Sed quorsum ea ad hunc locum dispuro? quorsum? nempe eo, ne recurrere ad iudicium extremum necesse sit, si quaestio iniiciatur: a quonam quoque tempore voluerit Paulus inueniri esse in Christo? quod mihi propterea videtur alienum, quia v. 11. demum pergere instituit de iis, quae spectant ad extrema huius seculi. Praeterea quis negare ausit, magis esse in Christo, quam inueniri aut videri talem, voluisse apostolum? Quare quum dicendi consuetudine N. T. satis sit frequentatum τὸ ἐνεργεῖ ἐν Χριστῷ, et μένειν ἐν αὐτῷ Ioh. XV, 4-7. Act. XI, 23. 1 Ioh. II, 5. Ἐν αὐτῷ ἐσμεν v. 6. ἐν αὐτῷ μένειν, nihil impedit, opinor, quin recte itidem τὸ ἐνεργεσθαί ἐν Χριστῷ ad hanc rationem explicari possit. Continetur autem illa dicendi forma, quicquid in vniuerso suo ambitu Christianismū constituit, in eiusque praxi perseuerantiam. Sed pro diuersa orationis compage, diuersi eius loci aut partes, quibus absoluuntur, innuuntur, quod ex nexus verborum semper dijudicandum est. Et aliquando nihil est amplius, quam doctrinam Christianam amplecti, Christoque deditum esse; vt in fine Epistolarum et salutationibus. Aliquando arcana illa et ineffabilis credentium cum Christo coniunctio, qua, quicquid Christus lege seruanda poenisque in se suscipiens praestitit, credentibus tribuitur; Rom. VIII, 1. Eph. II, 13. qua, inuicem membra Gal. III, 28. ab eodem capite, Christo, vires ad pie vitam sancteque instituendam, omnes accipiunt 1 Ioh. III, 6. 24. C. V, 20.

Nostro in loco haud dubie Paulus hac formula respicit ad vitam ante aetam, de qua v. 6. inquit, se legis aemulatione percitum ecclesiam Christi diripuisse. Itaque disiunctionis lege fuerit: vi sim Christianus s. Christo destinatus, quod Rom. VII, 4. dicitur γενέσθαι ἐρέψω, C. XIV, 8. τῷ κυρίῳ ἐνοιχεῖται Cor. III, 23. χριστῷ ἐνοιχεῖ Gal. III, 29. Sed nec hoc negligendum, ad commoda adspirare Paulum, quibus Christiani gaudeant. Vnde sit, ut externa fidei Christianae professio, non quidem separari ab hoc loco, nec nuda tamen intelligi debeat, sed quae insigni cum commodo coniuncta sit. Quod autem sit illud potissimum, verbis sequentibus declaratur: μὴ ἔχων ἐμήν κ. τ. λ. ita enim haec verba ad praecedentia non conditionate: si non habeam meam iustitiam etc. sed ἐγράψατο referenda videntur: ita nimurum in eo esse et manere cupio, vt non meam habeam iustitiam, etc.

§. VIII.

Sed vt pressius hunc locum persequar, duplēcēm nōster inuicem opponit iustitiam, alteram quae sit ipsius propria et lege seruanda constet, alteram quae fide in Christum ab auctore Deo percipiatur. Vbi, quod primo loco quaeritur, δικαιοσύνη non potest esse animi propensio s. restitudo interna, qua homo recte ordinatur aduersus Deum et homines, quae pontificiorum est opinio. Nam tum distingueret habitum homini proprium ab alio, qui ex Deo sit. Quod an recte sit, nec ne, facile omnes mecum sentient, qui perpendere volent, quicquid boni inest in homine, Dei esse beneficium, id largientis vel in prima creatione, vel in altera, quae dicitur regeneration. Sed est potius perfecta et absoluta iustitia, qua quis culpa vacans, a Deo indicari possit ex omni parte satisfecisse legi. Quam quum Deus hominibus ita proposuerit, vt perfecte eam obseruantibus ad praemium vitae aeternae conferendum semet ipse pacto obligauerit, Leuit. XVIII, 5. coll. Luc. X, 25-28. efficitur inde, vt qui legi ex ase dicto fuerint audientes, ius habeant, per veracitatem Dei, ad illas promissiones certos exspectandas et pertendendas. Hanc iuris potissimum, quod dixi, notionem huic loco si subiicias, explicata omnia sunt atque obvia. Hanc autem vim inesse verbo δικαιοσύνης, perspicuum est ex Hebr. 7, 24, quod cum in uniuersum de quocunque iure ad rem usurpatur Nch. II, 20. Ps. CVI, 31. vbi ius sacerdotii intelligitur coll. Num. XXV, 13., tum vero etiam de iure hoc exspectandi beneficia legis obseruatoribus a Deo proposita, quod quis habet vel ob praefitam legi obedientiam, vel alia quacunque ex σχέσει Deut. VI, 25. Genef. XV, 6. coll. Rom. IV, 3. 4. atqui hoc in loco ex illa fidei imputatione eis δικαιοσύνη, disputatur de mercede κατὰ χάραν adiudicanda. cf. CAMP. VITRINGAM Obseru. sacr. L. IV. c. X.

§. X.

DE FIDE IVSTIFICANTE.

II

§. X.

Hanc igitur iustitiam, siue si placet, ius illud ad beneficia diuina, se quidem habere, ut Christianum, asserit apostolus, id tamen negat esse suum, aut lege seruanda quaesitum. Quae enim vocatur δικαιοσύνη ἐν νόμῳ eandem esse atque ἡ ἔργων νόμος, vix opus erat ut monerem. Quanta est igitur illa Christiani praerogativa, non habere iustitiam propriam, quam nemo unquam mortalium habere potest, quam tamen, qui acquirere sibi posset, merito amplectetur? Satisne commode abesse ea videri possent, quae in partem negatiuam dicuntur: μὴ ἐμὴν δικαιοσύνην? Quorsum igitur addidit? Nimirum, ut opinor, vel ad infringendam vim eorum, quae v. 6. de sua legi adhuc addisti iustitia dixerat, vel ad tangendum Iudeorum vlcus, quos satis constat nunquam non pendere voluisse ex operum meritis, suisque rebus delestatos vnicet fuisse. Typho enim quodam, quem etiam nunc gens illa ambitione spirat, inflati, prorsus ita secum reputabant, se legi diuinæ exactam obedientiam praestare posse; cuius rei, ut plura sunt testimonia, tum indicium, quod magis quoque eorum dementiam prodit, in eo est, quod legem Sinaiticam multis additamentis non necessariis augebant. His de externo orationis habitu atque forma praemissis, potior ad haec verba disputationis pars eo redibit, ut quam legem Paulus hic intellexerit, dispiciam. Νέμον enim, quando de complexu et summa præceptorum dicitur, quibus hominum actiones diriguntur, *tribus*, constat, absolui *generibus*, quorum *vnum* mores spectat, *alterum* ad sacra Iudaica pertinebat, *tertium* Iudeorum magistratu*m* commissum, tanquam tutoris aut exactoris loco additum erat τοῖς δικαιώμασι duorum praecedentium. Quamquam autem praeceptis, quae alterutro horum generum continentur, verbum νόμος competat, communissime tamen, et perperam habito illo discrimine, quod fieri ex argumento legum γνώσει theologica consuevit, eo verbo viuens, quae sacrī literis continentur, statutorum ambitus significatur. Iudei sane, cum legem simpliciter aduocari audirent, haud probabiliter creduntur de certo eius genere cogitasse. Sigillatim ad hunc nostrum locum quod attinet, nomine νόμος leges etiam comprehendendi, quibus vita moresque hominum circumscribuntur, id vero liquere potissimum videtur ex verbis v. 6., quorum hic rationem ab apostolo haberi supra diximus, et quae de lege rituall, non aequa de morali, dicta esse, neminem fore arbitror, qui absque certa ratione, quam ego quidem augurari nullam possum, velit statuere. Sed quum ita plane et sine limitatione in operibus suis causam felicitatis expectandæ se habere negauerit Paulus, id simul clarum est, regenitorum quoque recte factis, per se nihil virtutis inesse et meritorum ad iustitiam, laudemque et praemium a Deo accipiendum.

B 2

§. XI.



§. XI.

Qua autem ratione hanc iustitiam sit assecutus, videbimus, neque ita
multo post: sed pauca ante dicenda sunt de additamento ἐμῆν. Ne quis
igitur miratus sit, cur, cum inter omnes constet, a meque ipso supra disputa-
tum sit, omnem recte pieque viuendi facultatem Deo auctori esse referen-
dam, nunc, quam quis acquirat his viribus iustitiam, ipsius propriam vocau-
rit: alia esse potest illa oratio, quae opiniones temere iudicantium extenuan-
di causa recenset: alia quum veritas ipsa limata proponitur. Quidni vero
etiam angelus aut homo integer, suam habere iustitiam dici possit, quantum-
uis vires ad legi obsequendum necessarias a Deo acceperit? Dat quidem
Deus, vt velit, dat vt perficiat, sed angelus tamen aut homo ipse est qui vult,
qui perficit. Ut igitur facta, ita iustitia, quae iis acquiritur, agenti erit
vindicanda, secundum illud Rom. X, 5. Propriam autem iustitiam se ha-
bere negando, ingenuo se peccatorem esse profitetur apostolus. Haec enim
nomine quidem, re ipsa non discrepant. Hoc igitur cognito, sequitur locus
alter, quo post confessionem propriae indigentiae, se tamen ait iustitia polle-
re, simulque praesidium illius consequendae ostendit hisce verbis: ἀλλὰ
(ἐχων δικαιοσύνην) τὴν διὰ πίσεως Χειρός. Πτερις Χειρός casu secundo ob-
iectum denotante, est πτερις ἐν Χειρῷ vel εἰς Χειρὸν, quo sensu et
alibi recurrit e. g. Gal. II, 16. III, 22. Actor. III, 16. Per fidem igitur,
cuius obiectum Christus est, quamque perfici infra declarabimus indubitate
mentis fiducia in Christi meritis deposita; ea enim est vera fiducia, quum
quis in bonis, tanquam ad se pertinentibus, acquiescit, iustum se esse
asserit apostolus. Cuius rei quae sit ratio et intelligentia, ex nexu ser-
monis iudicari commode potest. Quum enim Paulus, suam se habere
iustitiam nullam ex legis operibus, prorsus affirmauerit, fidemque a lege
ita disiunxit, vt alteri nihil commune intercedere debeat cum altera;
hanc quoque, quam fide ait percipi iustitiam, ita necessario debuit, neque
aliter absque contradictione potuit, intellexisse, quam vt excluderet quic-
quid aut legale inest fidei, aut sibi credens possit arrogare. Ex his ad iudi-
candum haud est difficile, fidem ad iustitiam nostram non facere hæc tenus,
quoad est habitus menti nostræ infusus, aut actio ex illa facultate oriunda.
Non vt habitus: eius enim fons et cauſa Deus est Coloss. II, 12. Ioh. VI,
29., eoque respectu tam parum proficit ad iustitiam, quam concreatus
Adamo sanctitatis iustitiaeque amor, antequam eius fecisset usum, ad fa-
ludem consequendam quicquam proderat: non enim possidenti ea bona animi,
praemium erat propositum, sed recte iis vtenti. Neque vt actio singularis:
tunc enim fides referenda erit ad opera, quae legis praescripto exiguntur,
quibus tamen vis omnis, Pauli asserto ademta est. Multo magis autem ex
haec tenus

haec tenus disputatis appareat, fidem in Christum non posse coniunctam esse cum iustitia, tanquam sit causa iuris mercedem petendi ex debito, qualis conditio intercedit inter redimentem opera et locantem: nec esse acceptationem, quasi Deus ab hominibus accipiat fidem, eamque in tabulis accepti scribat loco operum: neque enim Deus quicquam de iure suo remittere, nisi praeflita satisfactione, potest; neque Paulus sic dicere potuisset, se non habere suam iustitiam. Vtique igitur hoc etiam sensu plus iusto fidei tribuitur, credentique substituitur ἐγερζόμενος, cui vi foederis operum merces adiudicatur κατὰ τὸ ὄφελημα. Nihil itaque fides in se dignitatis habet, quam tamen habet, ea omnis deriuanda est ab eo, quo ntititur, Christo, per quem unum ut omnes consequantur τὴν περιστέαν τῆς χάριτος νοῦ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιουσύνης Rom. V, 17. euidentissimo suae erga homines benignitatis documento, constituit Deus. Sed haec omnia prolixius alibi disputantur a nostratis: mihi sufficit ea tantum attigisse, et quomodo ex nostro loco efficiantur, ostendisse.

§. XII.

Huc eodem collineant verba textus nostri ultima, vbi diserte suam omnem iustitiam tanquam merum gratuitumque donum, nulla eius parte sibi seruata, diuinae benignitati acceptam refert apostolus, quando eam ait esse τὴν ἐν Θεῷ δικαιουσύνην. Quae vero insuper adduntur verba ἐπὶ τῇ πίστει, suspecta tantum vila sunt MILLIO, vt Proleg. ad N. T. n. 1254., non obstante summo codd. consensu, pro interpretamento parum opportune adiecto venditaret. Ei recte opponit WOLFIUS in Cur. ad h. l., verba διὰ πίστεως non esse adeo obscura, vt illustratione indigeant, nec illa ἐπὶ τῇ πίστεi tam perspicua, quibus priora possis interpretari. Dein, vt maculam intentatam, omnino abstergeret, inducit loca Rom. I, 17. et cap. III, 22. quibus efficit, in ipsis de imputanda nobis iustitia, vt pote grauissimi argumenti, locis, non inusitatum esse scriptori sacro, eandem rem binis modis significare. Accedunt sane illa loca ad similitudinem nostri; si quatenus videtur intercedere differentia: vt inque ellipsis est verbi γίνεσθαι vel εἶναι, vocula autem ἐπὶ responder particulæ hebraeorum לְיָה וְלְאֵת in coniunctione verbi לִנְתַּח, siue expressi, siue subaudiendi, et cum tertio quarto que casu promiscue ponitur ad denotandum respectum et relationem ad aliquam rem aut personam. Sic acque dicitur πιενμα θεε ḥ, ἐγένετο, et ἐγενήθη ἐπ' αὐτῷ, ac ἐπ' αὐτῷ cf. τεσ ὁ Num. XI, 17. 1 Sam. XVI, 23. Esaiæ LIX, 21. sensum igitur, interprete HIERON. ZANCHIO, sic habeto: πίστεi, non autem operibus destinata est illa iustitia, et super illam innititur: e coelo enim a Deo veniens, non super opera, sed super fidem cadit. Venit enim haec iustitia ex alto, quia est Dei iustitia. Cadit ergo super ali-

quid: non super opera, sed ἐπὶ τῷ πίστει. Id vero, si schemate remoto, simpliciter breuiterque dicendum, nihil est aliud, quam quod Lutherus in vernacula expressit: *quaes fidei conceditur et imputatur a Deo.* Denique, ne illa dubitatio reliqua sit in eo, quod amice locum nostrum dixi conspirare cum duobus illis a WOLFIO iniectis: per πίστιν intelligere ipsos credentes, puto, non est absurdum. Ferquam certe familiare est Paulo, abstracta loco concretorum ponere, quod fieri omnino in verbis Rom. I, 17. eis πίστιν, interpretum sententia tantopere exagitatis, contextu et collatione cum cap. III, 22. suadentibus, suppono.

§. XIII.

Nunc demum muneris nobis haec disputantibus dati memores, ad calcem libelli, quod commode fieri aliter non potuit, fidem in Christum, quam iustificantem vocamus et saluificam, paucis delineabimus, aduersariorum erroribus insuper notatis. Est igitur πίστις, si discesseris ab eo, quod veritas, aut complexus etiam doctrinae Euangelicae ea voce significatur, inductio animi de veritate alicuius rei non amplius dubitandi, sed secundum illam agendi. Fides in Christum, quae nobis iniungitur, et tota ntitur hauriturque ex testimonio Scripturae diuino, occupatur in duobus illis principibus capitibus, de praestita Christi hominum loco satisfactione, propensa Dei voluntate illam secundum homines accipiendo, estque adeo certa hominis persuasio, de peccatorum remissione, saluteque aeterna propter Christum impetranda. Eius tres constituimus *partes.* *Primam notitiam:* quoniam quod quis nesci nec potest credere: tum quod fides tanquam scientia describitur v. g. Es. LIII, 11. Luc. I, 77. credentes etiam illuminati et intelligentes audiunt Ephes. V, 8. Coloss. I, 9. fidei contra opponitur stultitia tenebrarum nomine Actor, XXVI, 18. Ephes. IV, 18. *Alteram assensum,* diuinum eum ac certum, sive iudicium res mente perceptas, quamquam sensibus non subiectas, ob testimonium diuinum, approbans et sequens. *Tertiam fiduciam,* seu fiducialem applicationem meriti Christi, qua quis eo, tanquam bono sibi vel maxime vili et necessario, tum vero etiam vi foederis diuini ad se pertinente, acquiescit, vel saltēm acquiescere nititur. Hac potissimum fiducia, quam duas superiores partes necessario praecedunt, perficitur fidei iustificantis natura et indeole, que propterea ὑπόστασις, πληροφορία, πεποιθησις, et λαμβάνεν χριστὸν dicitur Ioh. I, 12. quorsum etiam facit, quod promissiones Euangelicae non inuitis possint obrudi, sed consentientibus earumque cupidis tribui debeat. In his fidei partibus vrunt secantque Pontificii. Et primae quidem, notitiae pura, ita minantur, vt coecam fidem alienis malint oculis cernere quam suis. Deinceps fiduciam, ceu dignum anathemate figmentum reprobantes, Conc. Trid. Sess. VI, cap. 9. et

et can. 12. nil nisi mutilum sine capite corpus relinquunt, solum assensum, fiduciae autem supponunt dilectionem sive obedientiam, qua cum illo assensu coniuncta, fidem contendunt esse *formatam*, vti vocant calumnia loci Gal. V. 6. Sed vt cetera iam mittam, quibus inanis illa opinio refellitur a Nostrisibus, si fides non nisi a caritate formata iustificat, ipsam fidem oportet vim iustificandi ab operibus mutuam accipere, adeoque omnem nostram iustitiam ab operum dignitate pendere: quibus tamen cum viuuersus salutis nostrae ordo tollitur, tum sigillatim verbis Pauli, supra a nobis explicatis, e diametro contradicitur.

§. XIII.

De caritate autem, seu bonis operibus sentimus, fidem iustificantem sine sanctitatis studio omnino esse non posse. Est enim illa, nisi speciosa magis, quam vera sit, pars *fidei*, quam vocamus, *generalis*, quae amplectitur viuversam Scripturam sacram, cuius promissiones gratiosae eos tantum spectant, qui peccata serio omnia detestantur. Post illa excitandorum etiam pietatis studiorum virutem inesse fidei in Christum, vel ex eius natura constat. Nouit enim, subeundae mortis causam optimo seruatori fuisse peccatum, eaque propter detestatur illud ceu pestem, qua nulla capitalior induci generi humano potuerit. Summis item, quae percipit, beneficiis, animus compellitur ad eorum auctoris reverentiam, et sequendum, quod ipse praevit, exemplum: vt semper anquirat et libenter fungatur officiis, quae spectent ad tenendam eius benevolentiam. Neque ea subitanea est aut imbecillis animi induatio, sed roborata diuina, quae fidem sequitur, virtute 2 Per. I. 2-8., quae et ipsa mentem abducit ab rerum profanarum et piacularium cupiditate. Quid est igitur, quod nobis ab aduersariis nostris occurrit, quaerentibus: satisne conuenienter sacris literis facere videamur, quia sublata viuendi ratione, sola in Christum animi fiducia salutem aeternam consequi speremus? Quibus si satis cognita esset nostra sententia, utique viderent, nos non esse eos, quorum vita vagetur errore, nec habeat, quam sequatur, regulam.

§. XV.

Immo vero, si non omnino nulli sunt, qui, vt sit, ex hoc capite aliquid praesidii suae improbitati querant, illud vitium certe non est doctrinae, sed peruersae omnia ad usus suos detorquentium. Tantum ab eo debemus absesse, vt quiequam hic peccandi licentiae tribui putemus, vt potius peccata fidem habituali etiam, et quae usu diurno radices egit in pectore, penitus tamen possint extingui. Etenim a Deo datur hominibus vt credant, qui pravae voluntatis impedimenta frangit, fidemque exercitat. Eadem vis diuina se se exserit fide conseruanda aduersusque dubitandi rationes omnes.

pro-

propugnanda, in hominibus tamen non reluctantibus, sed mediorum, quibus adstricti sunt, vsu consentientibus atque ex viribus gratiae iam concessis cooperantibus. Languecente igitur studio pietatisque excendae diligentia, cessantibusque adeo hominis et consensu et cooperatione, spiritus etiam sancti vis impedita destruit. Qua deficiente naturalis corruptio in arma denuo colligitur, suaque in agmina sensim vari generis peccata voluntaria cogit, quibus demum spiritus diuini efficacia, simulque cum ea fides omnis excutitur, non nisi a serio resipiscientibus denuo recuperanda. Tanto cum periculo fidei coniuncta esse peccata, docemus diuinæ regulæ conuenienter Matth. XVIII, 6. Luc. VIII, 13. 1 Cor. VIII, 11. 12. Contrarias hic iterum partes sequuntur pontifici, et quamquam non tam hoc in loco culpandi sint, quam in fidei descriptione, ex qua error iste necessario fluit; tamen quum usque nostræ de fide saluifica doctrinae periculum obiciant, suomet eos gladio iugulare possumus. Nimurum quum fidem $\alpha\pi\sigma\tau\mu\omega\varsigma$ negent esse fiduciam in Christi meritis acquiscentem, eamque in nudo ponant assensu, cui obiecti loco subiiciunt vniuersam doctrinam Christianam, nec amitti eam peccatis voluntariis concedunt, Concil. Trid. S. VI. can. 28. aut concedere omnino possunt, sed haeresi tantum atque apostasia, contendunt. Hinc enati sunt flosculi quibus nitent eorum horti, de fidelibus adulteris, furibus, latronibus etc. v. Concil. Trid. Sess. VI. c. 15. Ex his puto iudicium fieri posse de grauissimo periculo, cui hominum animæ exponuntur. Stat enim atque perstat diuinum illud consultum: quicunque crediderit, saluabitur. Quotus vero quisque est, quamquam foedissima peccatorum colluuiæ submersus, qui se vere credere non possit affirmare, ex illa pontificiorum fidei declaratione?


Quo vero maiori cum periculo coniunctos esse Ecclesiae Romanae erores cognoscimus, tanto vehementius, nostrum est utique, Deum laudare atque celebrare, quod sacra nobis nostra, saepius licet vi fraudibusque hostium attentata, pura tamen atque intemerata haec tenus conseruavit. Rogabimus item, ut pacem religiosam, qua per bina secula tuto ac libere nostris nobisque frui licuit, nobis insequente etiam tempore nostrisque saluam atque integrum esse iubeat, ad nominis sui laudem, nostramque omnium salutem!



AB: 134322



56.



DE
FIDE IVSTIFICANTE
SPECIMEN
AD Philipp. III, 8. 9.
Q V O D
P R A E S I D E
IOANNE FRIDERICO
BAHRT T I O
S. S. THEOL. D. ET P. P. E. CONSISTORII REGII ADSESSORE
ET AD AEDEM D. PETRI ORATORE SACRO
PRAECEPTORE AC PATRONO OMNI PIETATE SVSPICIENDO
IN AUDITORIO THEOLOGORVM
D. IX. AVG. A. R. S. MDCCCLV.
DEFENDET
A V C T O R
IOANNES GOTTLLOB IAEGER
WERDA MISNICVS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA